



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De forma benedicendi nuptiis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

ceant, vel etiam prætermittat: de quo Deus ab vnoquoque rationem postulaturus est, neque etiam potestatem habet vnus Episcopus, alterum propterea condemnandi, cum nullus super alterum sit, vt Cyprianus bene scripsit. Nulla n. potestas est in Ecclesia Dei, nisi ad ædificationem.

Porro quod Liber præcipit, ne vlla grauamina, aut vota, contra Scripturam ordinandis imponantur, cuiusmodi est Abiuratio legitimi Matrimonij, id cum Scriptura, quàm maximè consentit. Ea n. & Episcopos, & Clericos postulat, qui sint vnus vxoris mariti. Hic verò quæ ad cælibatum à Domino vocati non sunt, necesse est eiusmodi votum esse perniciosum laqueum, quemadmodum, proh dolor, longo hæctenus tempore nimis apertè per experientiam potuit, sed de hoc infra suo loco copiosius & exactius.

Quarta pars est, ab omnibus Ordinandis in hoc Libro exigì, vt fateantur doctrinam eius certissimè esse vnicam Catholicæ Ecclesiæ Dei doctrinam, similiter vt polliceantur in ea tanquam absque dubio Christiana manere, ipsam fideliter tueri, docere, & secundum eius ordinationem viuere. Cum totus Liber totius Ecclesiæ Christi doctrinæ in tam multis & insignibus locis ex Diametro contrarietur, nec vllum in scripturis habeat fundamentum. Vt omnis ordinandus ad ministerium Ecclesiæ, Christianam doctrinam prius profiteatur, & in eo fideliter se perseueraturum polliceatur, antiqua est & Apostolica constitutio, quod nec ipsos Aduersarios latet.

Iam verò indubitatum est, doctrinam Libri Reform. in S. scripturis firmissimè fundatam, & idcirco vnicam esse, certam, & indubitatam, Ecclesiarum Christi doctrinam. Aliter autem se rem habere, & minimè quidem hæctenus probarunt aduersarij, nec deinceps probabunt in sempiternum.

Hæctenus ad articulum de Ordinatione.

### Vicesima septima Accusatio.

*De Matrimonio.*

*Vtrum Coniugium sit Sacramentum.*

*Quatenus Coniugium debeat prædicari.*

*Vtrum secunda nuptia debeant in Christiana Ecclesia celebrari.*

*De Sponsalibus contractis inuitis ac nesciis parentibus.*

*De forma benedicendi nuptiis.*

#### CAP. CXVI.



Hæc accusatio continetur septem partibus, quarum prima est. Librum non recipere Matrimonium in numerum Sacramentorum, cum Paulus testatur, in verbis primi hominis, loquentis de Eua vxore sua, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo*

homo patrem & matrem suam, & adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carne una, magnum Sacramentum contineri. Oportere utique igitur, ut Christianum Matrimonium magnum Sacramentum sit, sanctumque signum admirandae & inseparabilis unionis Christi, & sponsae suae Ecclesiae.

Resp. Ad hoc supra responsum est in Articulo de Sacramentis in genere. Quod Matrimonium sanctam significationem in se habeat, beatamque Unionem Christi & sponsae suae Ecclesiae repraesentet: item quod in his verbis, *Relinquet homo Patrem & matrem suam, &c.* mysterium Christi comprehendatur, iuxta D. Pauli testimonium: & quod Coniuges à Deo non vulgarem gratiam consequantur, bene sanctaeque in Matrimonio viuendi, haec omnia Liber Reformation. cum omnibus Christianis vera esse agnoscit. Quod si Sacramentum est & significat, omne quod rem sacram designat & repraesentat, & ad quod Dominus gratiam suam largitur, neque hac ratione quisquam negat, Christianum Matrimonium bene posse Sacramentum appellari. Repraesentat enim communionem & unionem, quae est inter Christum, & sponsam eius Ecclesiam: magnum sane Sacramentum. Praeterea Dominus non mediocre gratiam & auxilium largitur his, qui in suo nomine matrimonio iunguntur. Verum hoc modo oportet omnes ordines & status diuinae vocationis, ut Parentum, liberorum, dominorum & seruorum, &c. etiam Sacramenta appellare: Sacra enim mysteria fidelibus designant. Parentum enim, & Dominorum conditio, diuinam paternitatem & dominium: nec non gratiam & adiumentum, quod Dominus nobis pollicetur, ac praestat, quando filij aut serui eius esse volumus.

Si verò Sacramentum ita accipitur, ut significet idem quod sacrum signum, à Domino ipso commendatum & institutum, quo nobis Dominus in Ecclesia sua, per publicum ministerium peculiarem gratiam & auxilium communicare vult, ad nouam vitam, quae in ipso est: cuiusmodi Baptismus, & S. Coena, hac ratione Matrimonium non est Sacramentum, sed sacrum vinculum, copulatioque maris & foeminae, ut in Domino sint una caro, ita ut maritus uxoris caput & protector, uxor mariti corpus & adiutorium sit, ad procreationem liberorum, siquidem eos Dominus largiri voluerit: ad vitandum fornicationem, & ad omnem humanam conuersationem.

De signo iungendarum manuum, & confirmationis Matrimonij in nomine Domini, supra dictum est in Articulo de Sacramentis in genere.

Porrò quod Aduersarij dicunt, doctrinam Ecclesiae esse, quod Christianum matrimonium sit Sacramentum Ecclesiae, id verum non est. Nouum enim commentum est, & antiquis Patribus inauditum. Vnde factum est, ut in assertionis suae testimonium, nihil ex antiquis proferre poterint. Doctrinam, quae Catholica esse debet, oportet, quemadmodum saepius iam dictum est, ab initio Christianarum Ecclesiarum, & semper, & ubique traditam fuisse, esseque scripturis consentaneam. Et quam artificiosum, si Diis placet, argumentum connectunt. In his

verbis, *Erunt duo in carne una*, latet magnum mysterium: Ergo Matrimonium est Sacramentum. Hoc benè sequitur, Mysterium Domini nostri Iesu Christi, & sponsæ suæ Ecclesiæ in omni Christiano matrimonio significari, & representari: non omne matrimonium esse mysterium ipsum. Et quis docuit istos ex mysterio facere Sacramentum? Sed vt calumnientur piè scripta hoc Libro, omnia perinde habent.

Quod dicunt eos, qui Matrimonium inter Sacramenta non numerant, Christianis permittere, vt plures simul quàm vnã vxorem habeant: item admittere diuortium ob plures causas, quàm solum adulterium: denique facti diuortio potestatem facere repudiatis iterum nubendi, legitimo coniuge adhuc superstiti. Prima eorum assertio mera calumnia est, qua compositores huius Libri perstringunt. Hi enim docent, vt sicut Christus matrimonium in Ecclesia ad vnionem restituit, in qua fuerat à principio institutum, ita Christiani eam ordinationem obseruent, & vnus vir vnã tantum vxorem habeat. Docent etiam, Christianos non tantum non debere duas legitimis vxores simul habere, sed etiam illegitimas: quod Aduersarij suis Sacerdotibus publicè indulgent: atque idcirco se ipsos vnã cum illis à regno Christi penitus alienos constituerunt.

Quod ad diuortium, & alteras post factum diuortium nuptias pertinet, nihilo plus concedunt, quàm concessit Dominus ipse: nempe, quod omnis Christianus adulterum perfecto diuortio, vt Christus hac de re loquitur, à se repudiare possit, Matth. 5. 19. & quod non sit seruituti subiectus frater aut soror, in huiusmodi casu, si ab infidelibus coniugibus deserantur, I. Corinth. 7. Item, *vt quislibet suam vxorem, & qualibet suum maritum habeat, ad vitandam fornicationem, & honeste castèque viuendum.* ibidem. Item, *quod nemo debeat quenquam talibus penis afficere, quæ possint ei in laqueos peccati conuerti.* Sic enim scriptum est, *Vt a homini per quem venit scandalum.* Matth. 18. Hæc omnia sunt verba Spiritus S. quibus firmiter adhærendum est. Antiqui Patres quoad hoc negotium sententiis variarunt, vt Erasmus in 7. cap. 1. Epistolæ ad Cor. declarat. Sanè Aduersarij ipsi admittunt diuortium suum propter sæuitiam, & impotentiam.

Verum de his rebus omnibus ne verbum quidem in libro positum est. Vnde rursus, vides Christiane Lector, quàm impiè Aduersarij rixarum, calumniarumque causas & occasiones quærant.

Secunda pars huius Accusationis est, Librum nimis magnificare atque extollere sanctitatem status conjugalis, quasi nullus reperiatur sanctus, Quin & dictum illud, Gen. 2. non est bonum hominem esse solum, ita reddere Teutonicè, *es sei nicht gut das der menssch allein seye*, ac si malum sit hominem esse solum.

Resp. Liber Reformat. non plus Matrimonio tribuit, quàm facit S. scriptura. Et postquam omnis sanctimonix, vitæque pietas in fide charitatèque consistit, quis aliter dicat, quàm vnumquemque statum tantò sanctiorem, Deoque acceptiorem esse, quantò magis in eo charitas, ac prom-

prompta proximis nostris, iuxta verbum Dei, inferuendi, voluntas, deprehenditur?

Porro si dictum Domini, Gen. 2. *Non est bonum homini esse soli*, non bene ita translatum est, sicut id Christus Dominus ipse ad verbum protulit, sequitur, omnes sanctos Patres, id perperam interpretatos esse, qui id iisdem verbis reddiderunt. Verum ex eo quod Christus dicit, Non est bonum homini esse soli, non sequitur, malum esse istis hominibus extra matrimonium viuere, quos Dominus ad feruendum sibi extra Matrimonium vocauit. Christus enim hoc dictum suum, Non est bonum homini esse soli, de hominibus in genere, & de præenti vita, non speciatim de singulis, neque de tota Electorum vita effatus est. Sermo D. Pauli, bonum est homini non tangere mulierem: item bonum est illis, vt ita maneant, prolatus est de vniuersa vita Electorum: quæ cum perfecta & absoluta fuerit, nullam amplius coniugalem communionem habebit. Et quoad hanc vitam, de hoc tantum genere hominum dictus est, quos Dominus ad cœlibatum vocauit, qui vniuersum hoc donum & peculiariter largitus est. Equidem B. Apostolus Paulus, nihil potuit dicere contra Christum Dominum nostrum, cuius verba clarissima sunt, *Non est bonum homini esse soli*.

Quod verò Apostolus non in genere de omnibus Christianis, & hac præenti vita locutus sit: sed de iis tantum quos Dominus ad cœlibatum vocauit, ipse satis declarat, cum in eodem loco statim subiungit. Caterum propter fornicationem scilicet vitandam, quilibet uxorem suam habeat. Item, *Volo vt omnes sint sicut & ego sum*. Vnusquisque autem donum suum ex Deo habet, vnus quidem sic, alter vero sic. Item *Si verò se non contineant, nubant*.

Optimum quidem est Christo Domino & corpore & anima perpetuò adherere, vitamque cœlestem mox auspiciari, ac perfecte viuere. Quare bonum quoque esset, vt neque ederemus, neque bibere mus, neque quoduis aliud corporale negotium exerceremus. Verum Christus Dominus vnum in hac, alium in alia vitæ conditione constituit. Vni hoc, alteri aliud quoddam donum largitus est, vt sui in hoc quoque seculo corporalibus, coniugalibus, aliisque id genus officiis, sibi inuicem inferuiant. Vnicuique igitur consultissimum est, durante videlicet vocationis suæ spacio, vt Domino Deo suo inferuiat, quemadmodum ab eo vocatus est.

Tertia pars est, Librum præcipere, vt omnes Matrimonio initiandi, quàm virgines, quàm viduæ, benedicantur in Ecclesia coram toto populo Dei. Contra quod Canonem quendam produciunt, Neocæsariensis Concilij, testantem, pœnitentiam imponendam iis qui secundas nuptias contrahunt, neque idcirco vllum Sacerdotem debere in talibus nuptiis cibum sumere. Item aliud quoddam dictum D. Chrysostomi falso assignatum, quod affirmat, secundas nuptias, iuxta veritatis computationem reuera esse fornicationem: Aliud item dictum Hieronymi, quod tamen retractauit, nempe cum Apostolus velit mulieribus

quæ secundò nupserunt, panem Ecclesiæ subduci, multò magis subducendum eis esse panem qui de cœlo descendit. Hæc dicta habes in xxxi. q. i. cap. viii. ix. x.

Quod ad Canonem Concilij Neocæsariensis, constat omnibus harum rerum peritus, eum de talibus *scripturis* loqui, vbi alterutra pars iniusta de causa diuertens, altero adhuc Coniuge superstite alij vel mulieri, vel viro, se matrimonio iungit. Cùm enim Paulus non tantùm liberè dicat, eam mulierem, quæ marito suo defuncto, rursus in Domino nubit, non peccare: verum etiam iubeat, vt iuniores viduæ rursus nubant, quomodo vera Ecclesia Christi potuit tales ad pœnitentiam damnare? Hic fuit error Catharorum.

Dictum, quod D. Chrysofomo falsò adscribitur, aperta calumnia est Sacri Coniugij, secundas enim nuptias veram fornicationem esse criminatur. Verùm cùm constet, iuxta sententiam D. Hieronymi, qui dictum suum paulò antè recitatum retractauit, octaua etiam vice matrimonium in Domino contrahere, non esse damnatum in Ecclesia Christi, qua fronte ausi fuerunt Aduersarij hæc dicta pro se adducere?

Iam cùm secundæ, tertiæ, & quartæ Nuptiæ, modò in Domino contrahantur, veræ nuptiæ sint, quibus Deus ipse homines coniungit, quare non etiam verbo Dei & oratione sanctificarentur & confirmarentur? Quæ consuetudo hæctenus in maiori parte Ecclesiarum obtinuit. Hic rursus nota, Christiane Lector, in quem reprobum sensum, & absurdos sermones Christianæ Reformationis accusatio Aduersarios agat.

Quarta pars est impudentissima Sycophantia. In libro ponitur, Coniuges ita à Deo coniungi, & in vnum quasi hominem compingi, vt per nullam creaturam siue in cœlo, siue in terra, vnquam separari debeant: quod tanquam malè positum vituperant, Cùm morte soluatur Matrimonium, & non sit amplius in cœlo vllum coniugij vinculum.

Horum vtrumque verum est. At nunquid hoc quoque verum est. Homines quandiu vinculo Matrimonij, à Domino copulati sunt, per nullum hominem, nullamque creaturam, siue in cœlo, siue in terra separandas esse?

Quinta pars est, contra id quod Liber prodit, Nos velle per impressionem euulgare, quos gradus velimus esse prohibitos, cum non leues sæpè turbas, & errores pariat ignorantia graduum, & consanguinitatis, & affinitatis, in quibus scilicet liceat Matrimonio iungi, in quibus minus.

Hic nota, Christiane Lector, quid sit de quo quærentur Aduersarij, ac simul quales homines sint cognosce. Obiiciunt nobis vniuersale Cōciliū Lateranense, in quo dicunt enumerari, & explicari gradus prohibitos, nobis igitur non licere hac in re mutationem inducere. At quis vilius mutationis meminit? Et cū idē concilium testetur, in talibus rebus pro

pro opportunitate temporis, & necessitate hominum, mutationes inducendas esse: nobis verò totum Episcopale munus incumbat, vt iam sepius dictum est, quare non hæret nobis quoque hac in re nonnihil mutationis ad ædificationem inducere?

Sexta pars est contra id, quod omne Matrimonium, præter voluntatem parentum, aut parentibus defunctis, absque Consanguineorum, vel Tutorum consensu initur, non censemus ratum & legitimum.

Et tamen non ignorant, partim cum honestate naturali, partim cum legibus imperialibus, partim cum ipsa lege diuina pugnare, si iuniores præter concilium & voluntatem eorum, in quorum potestate ex diuina & ciuili ordinatione esse debent, Matrimonium contrahant. Et quid obsecro est, quod tempestiuo Concilio magis indigeat, quàm connubio iungi? quàm innumera pecunia admittantur, vbi clandestinæ desponsationes impunè dimittuntur?

At dicunt, si iuuenibus permillum non fuerit, pro sua voluntate, Matrimonium ineundi, dabitur Parentibus occasio, vt proles fortè à commodo & vtili matrimonio prohibeant, aut relinquunt contra earum voluntatem innuptas, aut certè ad ineptum aliquod Matrimonium cogant. Quasi verò huic Parentum tyrannidi, non longè melioribus rationibus occurri possit, etiam si Iuuenibus non libera relinquatur potestas, pro sua voluntate Matrimonium ineundi, Quàm inepta connubia vitari possint, si eis concedatur, pro suo arbitrio matrimonia contrahere. Etenim longè maior spes est, de prudentia & amore Parentum, quod non velint proles suas nimis diu à Matrimonio prohibere, si commoda illis & vtilia matrimonia obtingant. Vel ad inepta & inuita cogere, etiam si iuuenibus non concedatur, per se, suæque sponte, matrimonium inire: quàm de stoliditate stultisque iuniorum amoribus, quod semper honesta, vtiliaque matrimonia sint contracturi, si id eorum arbitrio relinquatur.

Quòd si quidam Parentes inuenirentur, & qui hac in re paterno munere ac potestate abuti vellent: nihilominus tamen verbum Dei stabile & immotum manet, quòd liberos potestati Parentum subiicit, eisque mandat, vt Parentes suos digno honore prosequantur.

Qualis verò honorandi Parentis ratio esset, si tantam ac tanti momenti rem, imò plenam sui ipsius permutationem, & à paterna potestate abalienationem, quæ omnia in matrimonio includuntur, sine consensu ac voluntate Parentum suscipere vellent? Occurratur tyrannidi parentum, quemadmodum leges Imperiales faciunt, bono ordine, ac strenua executione, nec permittatur iuuentuti tam impia temeritas.

Gelasius Papa, & Patres in Conciliis, Parisiensi, Aurelianensi,

Meldensi & Aquisgranensi, quorum Canones introducuntur xxxvij. q. 1. & ij. definiunt, Raptum esse, ubi quis puellam eo animo ducit, ut eam in uxorem habeat, sine consensu Patris, licet Puella consentiat. Voluntque talem raptum nemini posse ignosci, nisi puella restituatur. Hoc requirunt isti Canones: Nihilominus tamen audent Aduersarij affirmare, quod aduersentur. Interim agnoscant, veteri Testamento, hoc est, æterno verbo Dei consentaneum esse, quod in Libro ordinatur. De Canonibus quidem multum deblaterant, at ne vnum quidem, quem adducant, habent. Omnia enim eorum, nihil aliud sunt quàm calumniæ præstigiæque, quibus lumini veritatis tenebras offundere conantur.

Septima pars est, contra formam coniungendi & benedicendi Matrimonium, cum in ea ne verbum quidem insit, quin sit ex S. scriptura desumptum. Tantummodo sic instituta est, ut omnia in ea, & ab hominibus plenius intelligantur, & animis eorum melius imprimantur: quo & fidei ædificationem apud illos prouehere possint, & ipsi non solum ibi spectatores, & auditores, tanquam magicæ cuiusdam & idololatriæ musitationis ac significationis agant, Unde non modò non ædificentur, verum etiam grauissimè offendantur: partim quod in non intellecta, neque credita Sacerdotis recitatione, & signatione fiduciam ponunt, sine vera fide in Christum, & ad manifestam eius ignominiam: partim quod magis impios ibi iocos & ludos exercent, sicut apud Aduersarios frequenter fieri solet. Quem abusum hæcenus non ita taxarunt quemadmodum Christianam benedicendi matrimonia formam, ad normam indubitati, & infallibilis verbi Dei institutam, sine omni pudore infectantur & oppugnant.

### Vicesima octaua Accusatio.

*De visitatione Infirmorum, & extrema Vnctione.*

*Vtrum extrema vnctio sit necessaria.*

*Vtrum egroti non sint docendi, ut omnem fiduciam suam plenè ac firmiter in Christo collocent.*

*Vtrum infirmi fidere debeant suffragiis Ecclesie, quæ facit pro iis post verum ex hac vita discessum.*

### CAP. CXVII.



stiani.

RAESENS Accusatio tres habet partes. Prima est de Vnctione, quam liber prorsus eliminat, Adducunt auctoritates, Marc. 6. & Iac. 5. Chrysoctomi, Theophylacti, Hieronymi, Augustini, Innocentij, Eusebij, Sulpitij, Gregorij, Bedæ, & vniuersi orbis Christi-

Quantum